



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De præsentatione Dei in affectu orantis. Cap. LXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

De presentatione Dei in affectu orantis.

CAP. LXVII.

Quam varie se Deus orantibus offerat. **M**VLTIS autem modis affectus orantis, Dei respectum sibi repræsentari sentit. Aliquando videtur affectu dum orat, quasi Deus nec audire dignetur nec attendere: iuxta illud, Avertisti faciem tuam à me, &c. Item Iob: Ecce clamo ad te, & non exaudis me; et non respicis me. Inde oritur aliquando tardium orandi, quasi vana sit oratio quam Deus non dignetur acceptare. Aliquādo quasi iratus apparet & implacabilis: & inde conscientia confunditur & timore perturbatur. Iob: Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Vnde Ieremias Propheeta orat: Nō sis mihi tu formidini spes mea in die afflictionis. Et Psalm. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Esa. Multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum continuerunt se super me. Quanta sit illa animæ tribulatio & mœror, ille nouit qui propter hoc ab instantia supplicandi non desistit. Non enim propterea à prece cessandum est, quia Deus non acceptat; sed eo instantius orandum est: quia Deus probat per hoc orantis constantiam, expurgat humiliati conscientiam, & remunerat afflicti patientiam. Bernar. Obsecrationibus insistendum est, sed in omni humilitate & patientia: quia nō afferunt fructum nisi in patientia. Quasi enim cælum desuper sentit æneum, dum nullam deuotionis velut roris cælestis stillam pulsando in oratione percipit; & terram cordis sui ferream, dum nullo psalmodum vel orationum irriguo ad fructū compunctionis emollitur, sed veluti mulier Chanaanæ auersum à se Domini vultū æstimans, pecca-

Bern. ep. ad fratres de monte Dei, paulo post med.

Mat. 15.

peccata sua quasi canis immunditiam sibi ex-
 probrari reputat, & pane filiorum se arbitratur
 indignum. Sed tamen prudenter aduertendum
 est, quod ista pauidæ mentis imaginatio, qua
 durum & austerum sibi proponit Deum, qui
 verè mitis & benignus est, & in veritate pius
 & misericors: aut est deceptæ mentis propria
 confictio, qua format sibi idolū, pro eo quod
 non est ipse: aut est dispensatiua permissio ad
 terrendum vel humiliandum & corrigendum,
 vel purgandum animum, quo postmodum sua-
 nius sapiat ei benigna Dei respectio; sicut post
 expertam amaritudinē desiderabilior fit dul-
 cedo. Aliquando quasi aliis occupatus orantis
 affectum Deus non curare videtur: quasi vi-
 deat & orantem tranquillè sustineat, sed non
 respōdeat ei aliis intētus. Hoc videtur Prophe-
 ta sensisse, cum ait: Exaudi Deus orationem
 meam; & ne despexeris deprecationē meam:
 intende mihi & exaudi me. Et iterum: Verba
 mea auribus percipe Domine; intellige clamo-
 rem meum. Aliquando videtur quasi benignè
 oranti intendere, sed tacendo non annuere, vt
 preces illas suscipiat cum affectu. Iob: Cūm
 inuocantē exaudierit me, non credo quod ex-
 audierit vocem meam, id est, nescio si exau-
 dierit me. Aliquando etiam videtur benignè
 orantem respicere, & clementer eius orationi-
 bus assensum præbere, & fauorabiliter annue-
 re desiderio obsecrantis: Et hæc deuotę mentis
 confidentia solet esse iudicium exauditionis.
 De qua dicit Dñs, Marc. vi. Qui non hæsi-
 tauerit in corde suo, sed crediderit, quia quod-
 cunque dixerit fiat, fiet ei. Omnia quæcunque
 orantes petitis, credite quia accipietis, & eue-
 nient vobis. Iacob. Postulet autem in fide ni-
 hil hæsitans: qui enim hæsitat, non æstimet
 quod aliquid accipiat. Nec tamen statim diffi-
 dendum

Psal. 54, 2

Psal. 5, 2

Iob. 9, 16

Marc. 11, 23

Iac. 1, 6

350 S. BONAVENTURAE
dendum est de exauditione, quando non pro
voto succedit orāti; sed perseverare debet pul-
sando, donec amicus quasi victus improbitate
supplicantis ei det quod postulat.

Gen. 11, 8

De formis orantis.

CAP. LXVIII.

QVANDOQUE petitio nostra vno mo-
do formata hæsitacionē facit, quasi non
debeat admitti: si aliter formetur, fiduciam
exauditionis reportat. Aliquando orans for-
mam assumit serui, Dominū & iudicem suum
humiliter & timoratē ad misericordiam pro-
uocando: sicut Publicanus ille, qui nec oculos
audebat ad cælum leuare, sed percutiēs pectus
suum, dicebat: Deus propitius esto mihi pec-
catori. Aliquando assumit formam familiaris
amici & domestici; & cum reuerentia & fidu-
cia rogat, & quasi consulit domino vt hoc fa-
ciat vel hoc: exponens rationes vel causas qua-

Luc. 18, 13

Gen. 18, 24

Exod. 32, 12

Num. 14, 25

Exod. 33, 12

Exod. 33, 16

te sic decet fieri vel expediat. sicut Gen. Abra-
ham orat pro Sodomitis, & Moyses pro popu-
lo Israël, dicens Exod. Ne quæso dicant Aegy-
ptij, Callidè eduxit eos vt interficeret in mō-
tibus & deleret de terra. Quiescat ira tua, &
esto placabilis, &c. Item Num. Ne audiant
Aegyptij quòd occideris tantam multitudi-
nem quasi hominem vnum, & dicāt: Non po-
terat introducere eos in terrā pro qua iuraue-
rat: idcirco occidit eos in solitudine. Aliquan-
do quasi filius confidēs de dilectione paterna,
non tam obsecrat quàm imperat Patri vt ex-
audiat eū, expertā erga se beneuolentiā Patris
allegās, sicut Moyses Exod. Cūm dixeris, noui
te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me;
si ergo inueni gratiam in cōspectu tuo, osten-
de mihi faciem tuam, vt sciam te: & respice
popu-